

2. vel Civiles,

vel Criminales, ubi in Capitalibus

*Actori contra reum non licet patrocinari, si major probabilitas defensionis initio statim apparet.*

*Reum defendere licet, nisi sit perniciosissimus, quales sunt insignes fures & latrones.*

§. 4. vel formaliter, secundum procedendi modum, ubi

1. *Fallacias, & mendacia ne quidem in bona causâ licet adhibere,*

*Etiam si adversarius iisdem sit usus.*

*Bono tamen dolo non prohibetur Advocatus uti.*

*Ab injuria prorsus abstineat.*

2. *Prudenter agat, juris scientiâ praeditus,*

*Non tenetur tamen ultra levem culpam.*

3. *Crimen prævaricationis incurrit, si visis alterius juribus post alteri patrocinatur.*

*Etiam si prior operam ejus ipse recusaverit, aut salarium renuerit.*

*Si tamen prioris causam nondum suscepit, praescitu Magistratus alteri patrocinari potest.*

§. 5. (II) *Salarium, etiam si nihil sit promissum, actione potest exigi.*

*Annum stipendium, licet ante terminum moriatur, totum ipsi debetur.*

*In propria causâ non potest exigere salarium ab adversario in expensas condemnato, nisi per modum damni vel interesse.*